

V C
14



h. x

I
S



h. XIII, 9 QN. XIII, 9

Vc
141

CARMEN
DE ILLVSTRIS-
SIMIS, TRIVM ILLV-
STRISSIMARVM FAMI-
LIARVM IN SAXONIA,
A VTORIBVS.

Scriptum à
M. Balthafare Mencio.



W I T E B E R G Æ

Excudebat Antonius Schön.

M. D. LXXIX.

ABR





ILLVSTRISSIMIS
PRINCIPIBUS AC
DOMINIS,

Dn: IOHANNI GEORGIO,

Dn: CHRISTIANO.

Dn: BERNHARDO.

Dn: AVGVSTO.

Dn: RODVLPHO.

Dn: IOHANNI ERNESTO.

ILLVSTRISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI, DN:
IOACHIMI ERNESTI, PRINCIPIS
Anhaltini, Comit^{is} Ascaniæ & in Ballenstedt,
Dominiq; Seruestæ & Bernburgi
&c, filijs, Dominis suis clemen-
tissimis,



M. Balthasar Menci^{us}
dedicabat.



C A R M E N
D E I L L V S T R I S
S I M I S T R I V M I L L V
S T R I S S I M A R V M F A M I
L I A R V M I N S A X O N I A,
A V T O R I B V S.



*Erões teneri, veteris cum stemmatis
ortu*

*Virtutem, & doctas qui sociatis
opes:*

*Iam Zephyri vobis meditantur vere sereno
Aureolas picto cingere flore comas.*

*Nos alios longè flores, &serta paramus,
Quæ iuuat in docta sæpè tenere manu.*

*Nam flores stirpis vestræ clarissima quondam
Lumina, Pierijs, quâ licet, orno modis.*

*Si iuuat ergò domus vestræ cognoscere laudes,
Exempla & factis prisca referre nouis:*

*Doctis, si fas est, tempus breue demite Musis,
Et placido numeris ore vacate meis.*

*Sic canum patrem cani videatis & ipsi,
Vestraq; non vnquam laude sit orba domus.*

*Sed magnis vt apes non libant omnia syluis:
Flos illis, alios qui nitet ante, placet.*

*Sic libet è magna serie mihi sumere paucos,
Per quorum laudes hoc breue carmen eat.*

A ij

Nam

Nam quem te memorē princeps ALBERTE? quid au-

Dicere natales, progeniemq; tuam? (sim

Quid decus augusti vultus, formamq; virilem?

Vnde etiam pulcher nomine dictus eras.

Quid fortes animos, quid robur corporis? ex quo

VRSI terribilis nobile nomen habes.

Ab si temporibus nostris te fata dedissent,

Dum se Germano TVRCA cruore lauat.

Te quoq; purgata lux Relligionis, amica

Lustrasset (cur non ominer ista?) face.

Lux quæ tunc turpi Romani præsulis vmbra.

Condita, pro vili sub pedibusq; fuit.

Sed Deus ætati donat sua commoda cuiq;

Horaq; diuino munere nulla caret.

Tu decus antiqui meruisti temporis esse

Et columen gentis præsidiumq; tuæ.

Nec quàm te, poterat claram magis edere prolem,

Qui sedem Hercinijs fixerat OTTO iugis.

Stirps vetus Ascanidum per te decorata tuosq;

Incepit titulis clarior esse suis.

A te namq; ducum triplex fuit orta propago,

Cum thalamis esset iuncta SOPHIA tuis.

Sunt etiam ROMÆ proceres, quos nomine dictos

VRSI nos vestri stemmatis esse ferunt.

Illo fortè genus Sclauorum tempore, bello

Et cæde in proprijs Saxonas vrsit agris.

Quippe fidem sacram, leges & ruperat omnes,

Atq; dabat patrijs impia thura dijs.

Imme-

Immemor OTTONIS Magni, quem senserat olim
Victorem capiti ponere iura suo.

Sed tunc imperium melioraq; sacra reliquit
Vicinis ausum bella mouere suis.

Non impune tulit. Nam vis heroica postquam
Virtuti stimulos addidit, Vrse, tuæ:

Ipse paras aciem contra, populosq; rebelles
Comprimis, & vindex sub iuga dura trahis,
Armis iunctus erat, qui Brunonis arua regebat,
Ut titulo, fortis sic quoq; corde LEO.

Communes vobis operæ illo Marte fuerunt,
Par vobis etiam gloria lausq; fuit.

Nam Leo crudeles ad Baltica littora Sclauos
Confecit, partes Marte fouente suas.

Res tibi cum Sorabis erat Vrse ad flumina Salaë,
Quaq; fluit liquida cœrulus Albis aqua.

Heu mihi quas pœnas populi soluere feroces?
Quas strages illis edidit Vrsus agris?

Testis erit, Musæ, Pater Albis, testis Hauela,
Quorum vndas tinxit barbarus ille cruor.

Ergo morte sua fera gens ea rura reliquit
Omnia, ad infernos iussa meare lacus.

Ne tamen ora ferax penitus foret orba colonis,
Et fieret stabulum turpe nemusq; feris:

Vrsus substituit Flandros, & inania iussit
Explere, ac rebus regna tenere suis.

Vtq; aliquod patriæ veteris solamen haberent,
Et sciret stirpem postera turba suam.

A ij

Oppida

Oppida, quæ passim vicinis struxerat aruis,
Nominibus patrijs, plebe probante notat.
Hinc dulcis patriæ Neomagi mœnia restant,
Nimecum acciso nomine turba vocat:
Hinc quæ Marchiaco consistit limite Bruga,
Pontano cunas quæ dedit alma suo.
Hinc alia Holandas imitantur nomine sedes
Oppida, quæ numeris sunt minus apta meis.
Totus & hic tractus, qui circa Leucorin extat,
A Flandris nomen Flaminij suè tenet.
Sed tibi post haustos quid partum est mille labores?
Post fractas Sorabûm nobilis Vrse minas?
Scilicet à magno es SEPTEMVIR Cæsare dictus,
Turcæ ad Mæandri qui vada vicit opes.
Suntq; tuis sceptris magno concessa favore
Ad fines coluit quæ loca Saxo tuos.
Quid genus, aut benè gesta iuuant? tibi stamina Parcæ
Ante diem dura dissecurere manu.
Quis tunc luctus erat? quæ tristia murmura? cum te
Acciperet gremio terra quoq; agra suo.
Sed quamuis moriens excesseris orbe; superstes
Fama tamen laudes cantat in orbe tuas.
O quàm miratur proceres Germania priscos,
Si tam virtutum laude referre velit.
Vt senior terras lucemq; reliquerat Vrsus,
Mens & fama polum, corpus habebat humum:
Tum soboles tanto BERNHARDVS digna parente
Incepit rebus clarior esse suis.

Primus

Primus Leucoride hic ripa confedit, ut esset
Terrori Sorabis, praesidioque suis.
Illam arcem vulgò *VITEKINDVM* Saxona dicunt
Impensis olim constituisse suis.
Sed tunc dilapsam senio, vel turbine venti,
Dux cultu ornatam splendidiore dedit.
Pulchra sub hoc placidis currebant secula fati,
Fataque tranquilla pace vigeat humus.
Mox curam patriae fratri commisit *OTTO NI*
Qui tum septemuir Brennonis vrbe fuit.
IPSE vicens animis & viribus arma secutus
Caesaris in Latij se fera regna tulit.
Sapè leues Itali senserè, quid inclyta posset
Germani instructo dextera Marte Ducis.
Sic hostis terror, sed ut auxiliare suorum
Numen erat, cum res posceret arcta manus.
Quod nisi, in Insubribus quo Caesar tempore gessit
Bella, cui nomen barba cruenta dedit;
Bernhardus socio coniunctus Marte fuisset,
Imperij Praeses penè peremptus erat.
Nam Leo discordes cum Cesare ceperat iras,
Visus eratque fidem deseruisse suam.
Quisque suae sortis faber est: Leo foedere rupto
Cogitur à patrijs exul abire locis.
Pro virtute sua *ASCANIUS* fidoque labore
IUS ELECTORIS Cesare dante tulit.
Accepit tractum quoque, quem Leoburgia spectat,
Structam à BernharDO quam Duce fama refert.

A iiij

Iun.

Iunxerat ille thoro sibi Dano è sanguine *I V T T A M*,
Ex qua auctus geminae prolis honore fuit.
Annorum tandem satur ex hoc orbe recessit,
Si videas fama nomina, viuit adhuc.
Viuit adhuc animis hominum: sed frigida membra
Vrna Balenstadia splendida in aede tenet,
Filius *ALBERTVS* cum fratre inseruit aulæ
Cæsareæ, & fortis semper ad arma fuit.
Cæsaris auspicijs, Germano milite pressit
Oram, quæ pluuio non eget alma Ioue,
Hic urbem Solis dictam de nomine cepit,
Et spolia hinc victor diues opima tulit.
Verùm vbi cognosset varijs patria arua procellis
Vrgeri, in patriam vela secunda dedit.
Cui discedenti multi dat signa fauoris
Cæsar &, vt Ruta tempora cinctus erat;
Accipe, ait, textam *R V T A* viridante coronam
Virtutisq; tuæ nobile pignus habe.
Tuq; genusq; tuum id clypeo seruetis auito,
Quo pingit quinas pulchra nigredo trabes.
Ter fuit is clypeus mutatus: Tempore Magni
Nam Caroli, nigro splenduit auctus equo.
Mox autem niueo cepit lucere colore,
Sparsus vbi sacro rore Vikindus erat.
Deuicto tenuit Rutaceaserta Leone,
Æterno quæ iam firma virore nitent.
Nec minus *HENRICO* fratri *I V S* Principis addit,
Addit & Hercinijs oppida multa iugis.
Præterea


Præterea clypeum medio Iouis alite signat,
Qui rubet ad Rutæserta nigrasq; trabes,
Sed reduces dominos amplexa est Saxonis ora,
Quà iacet Albiacis Leucoris alma vadis.
Omnis nobilitas, magno plebs omnis honore
Instituunt domino publica festa nouo.
Nec non vota DEO faciunt, vt numine sancto
Consilijs præsens semper adesse velit.
Fortè sed hîc populus, quæ sint noua sertæ, requirit
Cincta quibus nigras conspicit esse trabes.
Tum quidam ex aulæ cultoribus indicat, illa
Esse data à Latia virgine sertæ Duci.
Virgo fuit regina auium, quæ Cesaris ornat
Signa. Sed in vulgus fabula sparsa fuit.
Perfectis porrò sacris ALBERTVS acerbo
Rebus iniqua suis agmina Marte premit.
Et patriæ pacem reddit, fora legibus armat,
Fungitur & sancti principis officio.
Insuper OTTONEM natum genitore Leone
Adduxit fortem fortior ipse Ducem;
Saxonici titulum sibi ne ducis arroget vltra,
Nomen at à veteri Brunonis vrbe gerat.
Quòq; illum tacito nitentem pectore contra
Vinciret sanctis copula firma modis:
Illius natam lecti sibi fœdere iungit,
Ex quo coniugio stirps Leoburga sata est.
Condidit illa ædem FRANCISCI nomine dictam,
Spreto vbi tunc stabas Leucori parua situ.

Huc

Huc cineres atq; ossa ducum componere iussit,
Huc quoq; defuncti Coniugis ossa tulit.
HENRICVS fratrem referēs, quem semper amarat,
Cui se, cui mentem iunxerat vsq; suam:
Rem quoq; præclarè gessit, suaq; ausa peregit
Ad laudem & generis nomina clara sui.
Illi MECHTILDIS coniunx erat, orta Leonis
Stirpe, HELENÆ (Alberto nupserat ista)
Hinc sua Anhaltinum genus incunabula ducit: (soror.
Hinc stirps exortum nobilis illa trahit:
Cui semper fatale fuit producere claros
Consilijs, bello, pace, fideq; Duces.
Quis nescit magni clarissima facta RUDOLPHI,
Deuictus Venetus quo duce miles erat?
Quid referam claros Rudolphi ex fratre nepotes,
Quos inter fato copula maior erat.
Cum spem conciperet CAROLVS fore, vt ægra cõirent
Vulnera, quis Christi grex laceratus erat;
IANE tuus operis est vsus, teq; Lutherum
Scitatum pacis, iussit adire, viam:
Cui sua vir sanctus descriptis sensa tabellis
Detexit, veris exposuitq; modis.
Quid iam VOLGANGVM verbũ cæleste fouentẽ,
Quod vix dum claro ceperat ire die:
Cum pater omnipotens tenebras miserate nocentes
LVTHERI armares numine corda tuo.
Quem princeps omni pietate GEORGIVS, omni
Expressit studio, Relligione, fide.

Non

Non hunc pœnituit cœlestia sacra docere,
Cum peteret festo plebs sacra templa die.
O quàm tunc Pietas documentum in principe rarum
Quàm mirum specimen visa dedisse fuit.
Nec manus vlla Ducis tanti depinxerit ora,
Quàm sese in scriptis prodidit ipse suis.
Sed mea Musa minor longè est, quam possit vt istud
Sat dignè numeris munus obire suis.
Contrabe vela, alijsq; ea cuncta canenda relinque,
Quorum commendat visq; nitorq; stylum.
Si tamen vlllo esses adiuta fauore potentum,
Fòrs pareres grauido splendidiora sinu.
Quod superest, iterum compello nomina vestra
O teneri (patris spes tamen ampla) Duces:
Accipite hos flores, Musamq; leuate benignè
In laudes vestræ quæ canit apta domus.
Fas vobis illas imitari munere in omni,
Fas illas titulis condecorare nouis.
Sic vos æterno fama amplectetur honore,
Et liquido vestris æthere iunget auis.



Beant Musæ Nos Ministros Suos
Boni Memoria Nominis Morti Subducentes,

In Academia Vitebergensi

A N N O

Venlet a VXILIVM Del.

Epigramma
De meritis illustissimorum Præs-
cipum & Electorum Saxon: in rem-
pūbl: literariam Witeberg: p

Cui sapientis habet Fredericus nomina lictum
Egregium ad celebres INCOAT Albis ayū
Johannes motū hero CONSERVAT eundem,
A sidri constant dictus amore pio:
Fuit DAVID tandem Dux, qui virtute paratum
Magnanimi titulum fau Fredericy habet
INSTAVRavit om̄i e bello disortus ut esset
Terribili Victor nomine Mauricius.
CONFIRMavit at EXORNavit & AMPLIFICavit
Anglus, nempe cui grāve dat pietas

nis
em
p
in
ay
m
o:
k
hab
y
l
i

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



QK 9c 141

(X7206297)

[Faint, illegible handwriting]

nc





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

B.I.G.

Farbkarte #13



h. XIII, 9 Q. XIII, 9

Vc
141

CARMEN
DE ILLVSTRIS-
SIMIS, TRIVM ILLV-
STRISSIMARVM FAMI-
LIARVM IN SAXONIA,
A VTORIBVS.

Scriptum à
M. Balthafare Mencio.



WITTEBERGÆ

Excudebat Antonius Schön.

M. D. LXXIX.

ABR

